Sulikowski Nicolai: Manipulus revirescens Serenissi. ac Potentiss. D. D. Vladislai IV etc.

Manipulus Reuirescens

Serenissimi ac Potentissimi Dñi,

D. VLADISLAI IV.

Inuictis: Poloniæ, Suetiæ, Gothiæ, Vandalorum Regis HÆREDITARII.

Magni Ducis Lith: Rus: Prus: Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, &c. &c. Domini Clementissimi.

Diuinâ gratiâ collectus & Cœlitùs delatus In Vrbem Cracouien: feliciter illatus.

A

M. NICOLAO SVLIKOWSKI,
Profes: Dial: Schol: Nouoduor: debitæ submissionis ergò oblatus.

CRACOVIÆ,

In Officina Typograph: Martini Philipowski, Anno Domini, 1638.

Præſentia Regis pax eſt populorum, tutamen Patriæ, immunitas plebis, Munimentum regentis aura languentium, lætitia Ciuium, ſolatium pauperum & ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis.

Apri: Lib: XXII. Abus.

TAndem Sereniſsime Rex, in Regnum Tuis Virtutibus debitum, maieſtate eximium, Cœlituum decretis creditum ac permiſſum, poſt tánti temporis interuallum, exoptatus aduenisti. Tandem Diuorum Indigetum delubra, Tuorum maiorum, admirabili munificentiâ huius Regni, Tutelarium, Mauſolæa exornata, & Tuis trophæis depicta, poſt tot declinatos itinerum labores, aſperas difficultates Cœli, poſt tot ventorum ſæuas contumacias, ſuperatas. pio officio cumulans Sanctiſsimos Cineres, Tuam Regiam, quæ Te Natum excepit, creſcentem venerata eſt, adoleſcentem amauit, Virum Regiâ Maieſtate decoratum ſubmiſsionis genere complectitur viſitaſti. Tandem Tuos oculos Sole & lunâ nobis amiciores, vultum Tuum diuinum quid ſpirantem, Caput Tuum Auguſtiſsimum Sapientiæ ſedem, pectus Tuum fortitudinis domicilium, & aram pietatis, viſendam Ampliſsimis Senatoribus, Illuſtribus

Proceribus, primarijs Sacerdotibus, Academiæ Doctoribus Vrbium incolis, gratissimam intulisti. Iam nunc mente & cogitatione quiuis prospicere potest, vt quantò tædio, ob absentiam sui Principis, Vniuersi Patriæ Ciues conflictabantur, tanto gaudio nunc persusi ex aspectu iucundissimo, gestiunt & exultant. Non enim possunt intra sua præcordia continere lætitiæ æstus, nec sciunt publicæ hilaritatis cohibere modum, aut comprimere vocem, & affectum, Cum ei nullus obex posit inueniri. Suggerit lætitiæ Materiam, Tuus in Patriam amor, colligit segetem vberrimam hilaritatis, in omnes æqualis Tua clementia, dictat gaudiorum documenta Zelus cultus diuini promouendi. Proficiscentem Te publicè priuatimq́ commendabant Deo Ter Opt: Max: sedula pietate, multis sacris, ardentibus votis, & suspirijs studebant demereri cœlestes Spiritus, vt illorum suffragatione, hunc festiuissimum aduentum posint conspicere. Nunc identidem ex Tuo obtutu suauissimo, in animis omnium cooritur incredibilis voluptas. Non ergò Roma Vrbs gentium, Capitolium totius orbis; extollat graue pietatis argumentum,

tum,

tum, erga Principem Augustum, quod aliquando Senatus, cum equestri ordine, vniuersoq; populo Romano in lacum Curtium quot annis ex voto stipem iaciebat, pro salute sui Cæsaris, quo Principe, nullus in Consilio grauior, in dictis affabilior, in bellis gerendis felicior, in pace confirmandâ & stabiliendâ nullus charior legitur extitisse. Procul assentationis illecebræ, dicam ipsa veritate attestante, Poloniæ Tuæ Regnum, non profanis victimis, sed ardentissimis votis, non superstitiosâ obseruatione, sed religiosissimâ pietate, à Diuina Maiestate nihil aliud ex optabat; nisi Principis reditum in columem, & Maturum, qui & ad belli momenta est exercitatissimus, & ad excitandam beneuolentiam ingeniosissimus, & ad dirimenda bella paratissimus, ad pacem conseruandam prudentissimus. Hoc agebat, hoc Maximè sat-egebat, & numina cœlestia exoraret, quæ vt Principem sibi similem dedissent, ea quoq; ex sua benignitate, integrum, bene valentem, pignus diuinitùs datum seruarent incolume. Non repudium habuêre Nostra vota apud Deum, ex suo fauore desideria & spem nostram, superarunt Cœli Indigetes omni Cautione, summâ gratiâ ab ingruenti-

entibus tuiti sunt periculis, in quorum fide & clientela, præsidium firmissimum, Regni, libertatis, fortunarum Nostrarum erat collocatum. Meritò igitur exultat quoq; Mea hominis infantis ex auspicatissimo aduentu Principis & erumpit licet sit tenuis Oratio. Si Cræsi filio quem Mater elinguem, & Mutum in lucis vsuram ediderat, vehemens affectus extorsit vocem excutiente pietate, quam non concesserat Natura. Academiæ alumnis, quos in vsum, & obsequium Regum educat, quis præcludet vocem? Cum qui etiam rebus mutis & pene dixerim ipsis rigidis scopulis excutere potest dicendi libertatem, Principis autoritas, & in Musas Academicas amor. Recognoscunt enim illæ, cum pietatis cultu, Ceu vernæ Tuorum maiorum clarissimorum, fortunis tenues, a Mortuis nisi colore dissimiles, Tuum patrocinium, Tuam fidem, & in spem melioris fortunæ eriguntur, Cum Te non autorem, non parentem, sed velut Numen singulare, ad res suas subleuandas, cœlitùs demissum venerantur. Plurimi Ciuium argumenta lætitiæ insignis, non modo in vultu præseferunt, iam in visendis apparatibus, in arcubus triumphalibus, in splendore diei

per

per artem auctis ignibus, attestantur. Sed Musæ Academicæ vel potius Tuæ Serenis: Rex ex Tua incolumitate, incolumes & felicitate se felices appellant, æternum obsequium spondendo & recipiendo. Et huius quidē lætitiæ, nemo numerare Causas, quia infinitæ sunt, Nec argumenta quærere potest, quia splendore suo vniuscuiusq; facile percellunt aspectum. In Tuo enim animo Serenis: Rex, tanquam stellæ quædam virtutes omnes elucescunt, tum inter illas quasi lucis & vitæ dispensatoris solis, cultus honoris Dei lumen resplendet. Laudent Romani Numam Pompilium, extollant Græci Lycurgum, alijq; populi, qui sacra, Ceremonias sibi inuenerint, efferant laudibus suos religionum autores; his omnibus Te vnum Princeps pijssime præferimus, Cui tantus Zelus Dei in animo insedit, vt nemo vnquam, non dicam anteire Te, sed nec par Tibi in religione seruandâ augendâ, ornandâ, inter huius seculi Principes inueniatur. Nemo est qui nesciat Racouiana pestis Arij, in vinea Christi, quas ærumnas ederet, quas turbas in populo daret, derogaret iustum honorem Diuinæ Maiestati. Iam illud monstrum teterrimum Ecclesiæ, & omnium fidelium

Chri-

Christi Militum, religioni quâ societates regnorum & populi tranquillitas confirmatur illudebat, hostili oculo praecedentes nos spectabat, ringebatur, tumultuabatur, Cum fidem Christi publice & Manifeste deprædicari videret, pernicioso suo dogmate, turbas ac seditiones, iam in Comitijs Senatorum, iam in congressu Nobilium ordinum, excitabat constrictas Conscientias imperitæ plebis in perpetuum exitium secum trahebat. Hanc Pestem Rex Potentissime extinxisti, furori & audaciæ improborum restitisti, communi Calamitati nuper in Comitijs medicinam adhibuisti. Extra regnū illa furia fugit, perculsa terrore & Tua potentia, quod non infecerit vniuersum regnum, vt voluit, quod seditiones, ad effusionem sanguinis, vt sperauit, non commouerit, quod Ecclesiam Dei florentem reliquerit. mærore afflictam ac profligatam se sentit grauissime. Conuertit modo oculos, in latibulis delitescens, ad hoc Regnum Nobilissimum, religionis, deuotionis, & omnium virtutum quasi templum, illudq; ex faucibus suæ contagionis ereptum esse luget. Gaudet igitur Academia tam excellenti bono, quo omnibus sine periculo, salutis, cum summa omnium rerum pace & tranquillita-

te

te frui licet, & Te Augustissime Princeps, gratulatione complectitur incredibili, veneraturq; impensissime, tanquam missum à Dèo Iudicem, vt iustitiam in terris tuearis, vt insolentes castiges, virtute præditos præmijs ornes & amplifices. Colit enim Te & obseruat deuotissime, non tantum vt à Deo electum Regem Augustissimum, sed vt Aula Iagellonis Tuorum Maiorum, quorum insignia in parietibus excisa collucent, ad memoriam per Te seruetur sempiternam. Stetit florens imperium Persarum in diuturna felicitate, propagata est illius amplitudo longè lateq; nullam ob aliam virtutem, aut potentiam, nisi quod Persæ, præter omnes gentes & Nationes, Regalem Maiestatem, omni cultu & veneratione maxima sunt prosecuti. Quis impedire aut obstare audebit? Ne Te Regum fauentissime Academia etiam cum dispendio propriæ salutis, rerumq; suarum detrimento obseruet ac veneretur. Habet parentes charissimos, quorum beneficio, vitam, patrimonium, traditum retinet, diligit Patronos quorum adminiculo, & his fruitur, & plurimis alijs augetur; amat Mæcenates, quorum subsidijs in amplissimo consilio, in sublimi gradu dignitatis

Sacerdotij tanquam in arce Prælaturæ collocatur. Si spectet Tuam Serenissime Rex gratiam, à quo multis beneficijs ornata, immensum est ac plane diuinum, quod Tibi debeat, qui Tuo præsidio admirabili, curâ & Conatu singulari, parentum patrimonia, patronorum libertates, Mæcenatum munera, publicos honores, illi vno tempore reddidisti: Per Te illi vita reddita, Patria reddita & libertas. Quamdiu ergò erunt literæ Academicæ, quamdiu stabit hoc pietatis & disciplinæ domicilium, tam diu Rex Potentissime viues, & quantum alijs operibus est ætas detractura, tantum Tuo Patrocinio, addet ad gloriam & nominis immortalitatem. Nemo ergò Academiæ obsequium improbet, nemo Contemnat grati animi propensionem, si quidem ingratissima foret, si periculo interitus liberata, animum ingratum retineret. Vt Græcia omnis disciplinæ Mater, & Sapientiæ excultrix, ingenioso Commento suo & syncero aram Gratiarum in medio fori extruxerat, & gratitudinis delubrum sumptuosè exornatum posuerat, vt plebem ad memoriam, & recordationem acceptorum beneficiorum excitaret. Decuit & Academiam, ob multam

libe-

liberalitatem Tibi obstrictam, vt memoriam nunquam morituram hoc cultu obsequiorum testaretur, & in Principe tantam benignitatem cum commendatione adoraret; quo conspecto intelligeret fortunatissimo imperio suo, vt nunquam optimos Reges, ita Mæcenates sibi amplissimos defuturos, & speraret quod omni genere virtutum excellentissimo Principe vteretur, per illum sibi successores dignos tanto Patre filios nascituros. Ea de Causa Tuam Munificentiam, quæ est bono publico vtilis magnopere, in extruendis Scholis Nouoduorscianis, sacrarijs omnium virtutum, quæ omne genus meritorum, non solum ad æquare, sed etiam longè antecellere videtur, commendabilem posteritati transmittet. Magnifica in publicis ædificijs extruendis, reparandis, munificentia, admirabilis in rebus sacris ordinandis, iuuandis, illustris in propagandis Patriæ finibus, laudabilis in hoste propulsando & coercendo, popularis in spectaculis & ludis exhibendis, in necessitate Vrbibus prouidendâ excellentissima. At omnium tantæ gloriæ splendorem, in literas tenuiores, literarum Professores alendos & ornandos, veluti sol lucidissimus obscurat Munificen-

tia effusa. Est enim alterius liberalitatis aliqua dignitas, est admiratio, popularis auræ est Consectatio, vanæ gloriæ, aucupatio; Sed liberalitas in literas, & patrocinium earundem, immortalem gloriam & præmium vitæ beatæ Consequitur. Illa ad splendorem, hæc ad Necessitatem, illa ad breuem, fluxam, Caducam, instabilem, & cito marcescentem voluptatem ordinatur: hæc ad veram, firmam, constantem, felicitatem dirigitur. Cum ad bonum Ecclesiæ ad vsum Reipub: & commoda Patriæ spem educat fouet Reipublicæ amplissimam. Quid enim est educare? quam patris induere affectum, multos labores incommoda varia, non minus animi quam Corporis solicitudines, anxiam custodiam suscipere, ne lædatur ætas infirma, vt salus ab instantibus periculis, nondum bene valens muniatur, ne iuuenes tardi ingenio, aliquo commodo destituantur, qui longo & solerti studio prompti, qui ab ipsis incunabulis fuerunt acuti ingenij, tandem temporis progressu, aut otio, aut luxu, aut temulentia, aut alia ex causa obtusi & languidi euadant: hoc est Professorum educare. Hæ Causæ sunt obsequiorum Academiæ, quo enim illorum vberrimam Materiam consi-

considero, eò magis in infinitum crescit Oratio. Multiplici igitur fænore gaudiorum, cum Poloniam, tum Academiam Tuo aduentu cumulasti Serenis: Rex, primum quod tantopere exoptatus adueneris, deinde quod feliciter reualueris, & in Regnum Tuum, licet alicubi Cœlum, quantumuis amænius hauseris, redire properaueris. Reliquisti illas delicias Germaniæ, puriorem auram, affinium, Consanguineorum illustrissimæ stirpis amplexus suauissimos, qui non vt hospitem, non vt fratrem Potentissimus Monarcha Austriacæ domus lumen & columen, sed vt numen Cœlitùs demissum excipiebat; adeo vt gens illa alioquin Regum obsequijs impensissime dedita, nullum vnquam suorum Regum regalius exceperit quam Te hospitem. Nam velut Vlysses ille, cum vidisset prodigiosæ fertilitatis terras, opulentas regiones, amænas vrbes, ad asperam tamen Ithacam, per tot discrimina rerum properauit, sic Tu Serenis: Rex, in Regnũ Tuum non publico curru, sed diuino vehiculo properasti, & Ciuibus Patriæ solatium, regno lætitiam, Musis Academicis voluptatem reddidisti. Fuit aliquando in delicijs Vespasiano Cæsari, Villula Cosona,

 vt

vt ne Imperator, delicium gentium, frequenter conuenire erubuerit, quæ hominem tantum ediderat, nihil de pristina eius tenuitate mutari voluit, ad cultum humilem, agrestem, nihil addere splendoris, ne quid oculorum consuetudini deperiret, statuens causam, quod in ea primum vagijsset, & spiritum vitæ hausisset. At Tu Rex potentissime in Polonia, Princeps & Princeps quidem & belli gloria clarus, & pacis ornamentis insignis editus es, quæ Te genuit, ad eam tanquam filius venisti, quæ Te educauit, tanquam alumnus exosculatus es, quæ Te coluit Principem, tanquam Parens affectu amoris prosequeris. Hic ego mihi temperabo, ne quis ex meæ dictionis tenuitate magnitudinem & dignitatem Virtutum Tuarum obscurari putet, qui nec à natura, nec à longa consuetudine ad dicendum sum instructus. Quis enim Te in nostra defendendâ patria æternùm Tibi obligatâ scientior, vnquam aut fuit, aut esse debuit, cui à Natura talis genius est inditus, bonitatis, vt propter amores eius, nec labores fugere, nec periculis deterreri, nec otio abstrahi potueris. Vbi enim prima literarum studia, quibus ætas confirmatur absoluisti, è ludo literario in Campum, ex

tepi-

tepidis parietibus sub Iouem frigidum, ardorem æstus, asperitatem hyemis, iniuriam ventorum, cœli inclementiam perferre euolasti. Prima Tyrocinia militiæ deposuisti, contra populum & robore potentem, opibus abundantem, potentiâ instructum, fœdifragum Moschum, vbi tanquam in theatro virtutis Tuæ specimina exhibuisti. Quorum si homines obliti fuerint, loquentur scopuli niuibus obsiti, ipsis auibus inuij montes enarrabunt & Tuam VLADISLAE Serenis. diuinam fortitudinem, in periculis, & incredibilem amorem in genus Polonum attestabuntur. Testis est gelidissima illius Cœli plaga, quos labores susceperis, quas difficultates sustuleris, quas molestias & ærumnas superaris. Cum Imperatore & Parente Tuo, cui principatus victoriarum inuidia conquiescente delatus fuit, ad vltimam perniciem & graue periculum compegisti. Testes sunt illę arces, mirabili artificio, & validissimis munitionibus, altis fossis profundis lacunis, munitissimæ, nec ingenio, nec robore expugnabiles, quas tu excidisti, euertisti, & solo æquasti. Non poterant iuueni quidem adhuc, sed forti victori, illi barbari & immanes populi, more ferarum viuentes ampli-

amplius resistere, sed in fugam eiulantes conuersi, inter Syluarum latebras, & nemorum recessus, vt reliquum vitæ spiritum finirent, à Te precabantur. Tanquam Athleta generosus, inter milites pugnabas, inter primipilos Centuriones Ductores exercitus, velut ille Alexander cum Regibus de laude decertabas. Videbaris iam multis annis, arma tractauisse, qui primus in aciem Martis descendisti, heroica magnanimitate obarmatus, bene merendi de Repub: nostrâ, nullam occasionem omittebas, obijciebas Te periculis pro Salute Ciuium, opposìtu laterum Tuorum aditus hostium, pro Deo, orbeq; Christiano intercludebas. Profectus es contra hæreditarium, diuorum Cœlestium, & religionis Nostræ hostem infensissimum, inflammatum furore, cæcâ libidine dominandi Solimanum. Insequebantur Te alij discedentem, alij desiderio & lachrymis languentes, alij votis, & precibus supplicantes Te concomitabantur. Quis illa tripudia, quis ouationes, quis triumphos immodicos digne explicabit? Cum in castra cis Istrum aduentares, milites diuturnis laboribus fracti, fame, siti, squallore enecti, obliuiscebantur suorum malorum, nouas lætitîas & volupta-

tes, animo concipientes, & mentes quæ præ dolore emarcuerant, à desperatione ad salutem, à morte ad vitam, à calamitate in hilaritatem erigentes & Tuo aspectu præsenti excitantes. Imminebat prædo Asiaticus, orbis non Dominus sed inquilinus, designabat oculis, milites à Cædem, florentissimas Vrbes ad vastitatem, agros ad solitudinem, vocabat, & tristes euentus belli orbitatem, minaci vultu, scintillantibus oculis, ore truci intentabat. Paucis expediam Rex Potentissime erigebat se turpissimus Archypirata in spem victoriæ, multarum palmarum vetus gladiator sibi applaudebat, cum ob suos felices euentus, tum nostros animis concidentes, ad internecionem venturos pollicebatur. Continuo Te adueniente, pro Catholicâ fide, pro amore Polonorum, pro aris, & focis pugnaturo, cuncta præsidia aduenêre fauentia, fama Tui aduentus in Castra, ita eum attriuerat, & afflixerat vt Cœlum aerem, aquam ad victoriam obtinendam haberes propitia. Vnde effectum est, vt accepta clade hostis, partim ferro, partim tempestatibus Cœli, & terræ, vt se fusum & deletum, derelictis Vxoribus ac Matribus rumorem qui deferet & Tuæ victoriæ gloriam non

habuerit. Hæc fuerunt digna laude, digna immortalitate, & admiratione digna, cum Tu iuuenis ætate, sed Viribus Maturus, hostem furentem audaciâ, scelus Christiano orbi anhelantem, & magnopere præsidentem suis recutitis siccariјs, coercuisti, compresisti, à superbia & fastu, ad fugam & trepidationem animi, deduxisti. Nimirum Serenis: Princeps felicissimus es noster bellator, maiore felicitate res nostras, & Patriæ & formidolosas egisti, quam Pompeius Romanorum Principum bellicosissimus, aut Sylla Dictator felicissimus. Cum Tuo ipso aspectu hostes, ab insania ad pacem, à furore ad modestiam, reuocasti. Nouimus & his temporibus Te absente Tuam felicitatem, vel potius Nostram coluimus, licet augebat solicitudinem, & desiderium nostrum, mora opinione diuturnior, quam longi hi menses, quam tardæ hebdomadæ videbantur nobis currere, quas sine Te transigimus. Quibus hi tres menses ac ne quidem exacti, lustro, aut decennio visi sunt prolixiores. Sicut numerantur horæ anxiјs parentibus, ad diem destinatum reducem expectantibus filium, ita fatiscebat patria, & nimio dolore solicita, præsentiam Tuam ipso

sole

sole iucundiorem lachrymabili voce reflagitabat. Quousq; tandem Serenis: Princeps moraberis, vita ipsa mihi charior, ergò ne oblitus mei, poteras ex præcordijs, meis elabi, quæ Te genui, quæ Te educaui, Principem Creatum adoraui. Si nunc istinc prius ad me aduolabis, quam Tuorum propinquorum, desiderium ardens expleueris, quam Principum externorum, amori & fratrum pietati satis feceris; dubito equidem an vnquam Te sum conspectura denuo. Quod si grauitate votorum meorum temporis spatia vellet aliquis demetiri, iam Te plus decennium abfuisse inuestigabit. Multum quidem Principibus externis debes, multum inuictissimo Cæsari Socero Tuo ratione affinitatis, at mihi plurimum debes nomine pietatis. Liceat mihi nunc ex iure meo conqueri liceat lachrymari. Dedit Tibi Cæsar Sponsam Serenissimam at ego vitam, Austriacæ genti es vinculo cognationis copulatus, at mihi Poloniæ Natus. Licet enim nec amænitate, nec fertilitate cedam alijs, hanc certe mihi propriam & maximam gloriam vindicabo, quod Te Regem salutârim elegerim. Talibus querimonijs cum vberrimis lachrymis, quas tum impatiens eli-

ciebat amor Patriæ Te sibi à teipso reflagitabat. Nouerat enim afflictissima ciuibus esse Principem id quod animā corpori, aut solem vniuerso terrarum orbi, sine quo viuentia permanere non possunt. Difficile enim dictu est, an maiorem felicitatem, in coercendo furore, & insaniâ hostium comprimendâ ferocissimâ, quàm in domesticis negotijs tractandis, & in melius instaurandis declaraueris. Hoc inusitatæ est cuiusdam felicitatis argumentum, cum absq; temeritate priuata domus, si paterfamilias, paulisper lares suos domecticos deseruerit stare non potest. At in Regno Tuo florentissimo, in hoc vasto imperij corpore, vbi sunt linguæ variæ, vbi mores multiplices, ingeniorum diuersorum membra, nullæ coortæ simultates, nullæ nouarum rerum molitiones, nulli tumultus, excitandorum periculorum, in Tua absentia emerserunt, sed omnia pacata tranquilla Optimi & Maximi Regis imperio floruerunt. Omnes enim Regni ordines diuinam Maiestatem orabant feruentissimis precibus, vt cuius fecit, clarissimis indicijs faustissimam inaugurationem eadem gubernationem Tuam lætissimis successibus quoq; regeret promoueret secundaret. Multitudo

agre-

agrestium, quæ à Te multis beneficijs ornata fuit, pestē ac perniciē, Te absente tentabat moliri, non parua incommoda Roxolanis oris, vbi est quasi theatrum militaris disciplinæ conabatur inferre primo rebellionem postmodum armatam obijciens perfidiam erupit in apertum. Sed Tua admirandâ Prudentiâ & Consilio bellicosissimis exercitus Tui Ductoribus communicato, fregisti & superasti illorum Contumaciam, & quantum ille grex Kosachorum sibi ad interitum & cladem æternam præcipitium parauit, tantum Tibi erexisti theatrum gloriæ, & nobis tranquillitatem firmâsti sempiternam. Idcirco cum ordo Nobilium Tuam charitatem in Patriam, & felicitatem cum gratulatione admiratur, cum Te vniuersus populus victorem cum summa veneratione prosequitur, etiam Academia cum testificatione æterni obsequij, Tuos triumphos, Tua ornamenta quibus æternitatem promeritus es, deprædicabit, & ex suis plenis eloquentiæ alueis concinnis periodis depinget, quicquid est elegantiarum, quicquid aureorum verborum, quicquid splendoris Tulliani, in laudes Tuas depromet. Videt illa tot trophæâ, tot coronas, aureas, tunicas palmatas, videt spo-

lia, Deo & Sanctissimis Cœlitibus affixa & æquissimis animorum oculis intuens veneratur. Si modum & rationem clarissimarum victoriarum, in quibus non modo salutis retinendæ sed etiam existimationis conseruandæ integritatem consideremus, nouo modo, miris artibus, hostes superasse videris. Cum eos non modo victricibus armis coerceres, honoribus etiam amplissimis ornares, iacentes extolleres, amplificares deperditam illorum dignitatem. Cuius vnquam bellatoris tanta potentia fuit, vt in belli insaniâ, clementiæ, in furore Sapientiæ documenta exhiberet? Inter fulgores armorum, irradiabat in Te lenitas animi, vt hostibus fortunas Ciuium impetentibus, in Regnum proprium inuolantibus veniam concederes. Irradiabat in Te mansuetudo cum prius perfidiâ audacia Tecum decertare voluerint, Tu beneuolentia Tua & clementia, furorem virtutibus, consilio temeritatem, vim vi, manum manu superasti. Irradiabat in Te Sapientia amplitudini fortunæ coniuncta, quæ adeo nota fuit hostibus, vt licet non sine acerbissimo animi dolore cognoscerent, tamen innatâ depositâ offensione in victores amatam sæpius laudauêre. Talia qui faciat, non cum

hero-

heroibus, est comparandus, sed ipsi Deo simillimus iudicandus. Noluit ergò Academia vsu & mancipio Tua, à quo solatia in calamitate, in oppressione defensionem, accepit comparatas tot victorias, redditam salutem ciuibus, constitutum otium Patriæ, constabilitam Ecclesiam Dei ingrato obruere silentio. Excitauit illa Tua trophæa, & consecrauit consequenti ætati, celebrauit laudes bellicas, illasq; non solum nostris sed etiam omnium gentium literis & linguis inscriptura est æternitati, ob ciues seruatos, ob vindicatam ex hostili seruitio patriam, vllam ætatem de Tuis laudibus conticescere prómittit. Semper futuræ sunt loquaciores literæ, ob beneficam Tuam voluntatem, ob pietatem in supplices, & literarum amorem, perpetuam gratorum animorum significationem declarabunt, & Mnemosynon æternæ submissionis erigent & ornabunt. Tenuerunt hucvsq; sub vmbra alarum aquilæ gloriosum otium, nunc in occursum prodeuntes, non munditiâ politæ, ad ostentationem, non exquisitis ornamentis ad Pompam Tuam festiuam instructæ, sed candore verecundæ Tui vultui benigno, faciei dignæ imperio sese exponunt. Accipe facilis & synceri animi

nimi

nimi Tibi expressum obsequium: Precantur illæ & quidem nec diu nec noctu vota cum Camœnis fundere cessabunt, vt Deus cui in terris suam potentiam & autoritatem cum Serenissima Regina Domina nostra clementissima partitus est, arduos labores, pro Communi bono, Ecclesiæ decore, susceptos, felici successu prouehere dignetur.

DIXI.

Sub felicibus auspicijs Adm. R.di. & Mag. Dni. Alberti Borouij Sacræ The. Doctoris & Profes. Custodis S. Floriani Cano. Scalbimirien. & SS. Omnium. Almæ Vniuersitatis Cracouien. Vigilantis. Rectoris.

Impensis ex fundatione Generosi
Dni. Bartholomæi Nouodworski
S. Ioannis Hierosól. Equitis Meliten
Commendatoris Pósnanien. olim
S. R. M. Aulici.